ANTONII RICCOBONI

I. C. HVMANITATEM

In Patauino Gymnaſio profitentis.

DEFENSOR SEV PRO EIVS OPINIONE de Horatij Epiſtola ad Piſones.

In Nicolaum Colonium ad Ethica Ariſt. in eodem Gymn. interpretanda deſignatum.



FERRARIAE,

Apud Benedictum Mammarellum. M. D. XCI.

Superiorum permiſſu.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM, ALEXANDRVM ESTENSEM,

patronum suum maxime colendum,

Antonij Riccoboni Dialogus.

SCRIPSI hanc defensionem meam, ALEXANDER ESTENSIS, Princeps Illustrissime, atq; excellentissime, vt quàm primum ex hominum animis malam de me si, qua forte maledictis Nicolai Colonii concitata, esset euellerem existimationem; & quidem scripsi in disputatione, & dialogo, propter magnam, quam habet dialogus, commoditatem, non modo amicos honestans, inimicos inhonestans, qui id merentur, efficacius persuadens, varietate

deleƈtâs,uerũ etiam diuerſas inter ſe,ac diſcrẽpâtes opiniones cõmodius cõprehendẽs. Quæ quidem mea defenſio, cũ de illis rebus ſit, quas tuæ dicaueram amplitudini, iam à te perbenigno acceptis, & tua grauiſsima ſententia probatis; nemini alii, quàm tibi, commendari debebat, ſummo patrono meo: cum præſertim minime aliena eſſet à præclaris litterarum ſtudiis, in quibus duos ab hinc annos in celeberrimo gymnaſio Patauino tam admirandos progreſſus facis ad ſapientiæ, atque eloquentiæ excellentiam; quibuſque ipſa poteſt non nihil afferre vtilitatis, quòd huiuſmodi concertationes eorum, qui politiores litteras pertraƈtant, ſoleant in veterum ſcriptis difficultatum nodos expedire, obſcura illuſtrare, complicata euoluere, ſpinoſa explanare, occulta aperire, eaque in lucem, atq; hominum aſpeƈtum producere, quę obſcuriſsimis in tenebris alioquin iacerent. Quamobrem, vt eam libenter accipias, foueas, & tuearis, te etiam, atque etiam rogo, meamque cauſſam grauiſsimo iudicio tuo committo, ac, te potiſsimum auſpice, hic Dialogi initium facio.

Pataui. Menſe Iulio. An. M. D. XCI.

DIA-

DIALOGI PERSONÆ

Colonius, Riccobonus.

COL. Accipe Responsionem meam ad absurdissimam sententiam tuam. RICC. Accipe Defensionem meam a reprehensionibus tuis; in quibus cum me tamquam absurdissimum hominem reprehendas, & prior indignis modis lacessas, a me ne proprio quidem nomine reprehensus, sed viri docti appellatione perpetuo significatus; vide, quomodo te ipse possis defendere ab illa sententia Ciceronis, quòd disserentium inter se reprehensiones non sunt vituperandæ: maledicta, contumeliæ, iracundiæ, contentiones, concertationesq; in disputando pertinaces indigna philosophia videri solent. Vnde facile perspici potest, me, quod licebat, fecisse; te, quod non licebat, commisisse. De quibus moribus tuis viro religioso, & quidem annos nato circiter septuaginta, qualem te esse audio, atque illi facultati, quam professurus es, parum congruentibus, prouoco ad eum, qui pro sua maxima sapientia optime talia iudicare potest, Illustrissimum D. Marci Procuratorem, Ioannem Michaelium, patronum eundem tuum, eundemque, ut eius

bo-

bonitate confido, meum, cuius quidem iudicium tanti semper à me fiet, vt quam ipse sententiam probauerit, eam & verissimam esse, & omnibus sequendam sim existimaturus. COL. Longa disputatione asseris, tantum abesse, vt Horatius hanc translationem Methodicè scripserit, vt illa nihil esse perturbatius possit: concedis tamen, ea omnia, quæ vt in calamum scriptoris quasi temerè incurrebant, scripta sint, posse ad methodum redigi, & commutato versuum ordine redigere conatus es. RICC. Breui disputatione affirmaui, non asserui (de hoc enim verbo ad Pseudociceronianum te remitto) Epistolam Horatij non fuisse Methodice scriptam tamquam artem, sed esse rectè scriptam, ut alias eius epistolas, quæ sat habeat, si quid sentiat scriptor de quibusdam rebus, etiam sine ulla exacta ordinis obseruatione plane id exponant. Illud enim, quasi temere, addidisti de tuo. Neque uero est, cur me in odium adducas, quasi uoluerim Horatium reprehendere, de quo scribebam, tantum abesse, ut aliquid disputatione mea detractum uellem, ut potius occultiora Aristotelis decreta latere in eo essem ostensurus: &, tametsi Methodicè scribere is in animo non habuisset, tamen tamquam ex uberrimo omnis doctrinæ fonte, quæ Methodicè traderentur, hauriri posse. Non enim Horatium, sed Colonium reprehendi, de Horatio id somniantem, quod ipse non cogitarit. COL. Cum hac ergo iterata asseueratione uis omnino credamus, te in hoc diffingendo opere serio elaborasse? ò iocularem hominis sapientiam, qui ex tam monstruoso conatu non uideris, quàm esses ridiculus futurus. RICC. Ne clames, Coloni, cum isto tuo multiplici maledicto: ad te redi in tanta iracundia, qua distraheris, & diffinderis: cogita istos affectus iunioribus conuenire, qui sint uel ætate, uel moribus iuuenes, ut tibi ex Ethicis in memoriam reuocare debes: noli sine caussa præter causam digredi. Ego enim tibi

ista

ista maledicta condono. Immò uero etiam gratias ago, quòd Horatij Epistolam edideris eo ipso ordine, quem ipse excogitaram; qua ego inani opera supersederam, nè frustra folia implerem. Nec conturbor, quòd ut aduersarius in peiorem partem omnia trahas, idque appelles monstrum, quod potius iusto iudicio pulchrum corpus, uel ipsi Horatio, si reuiuisceret, probandum, debuit appellari; ut tota ferè doctrina Aristotelis ordine Methodico ad eum fuerit redacta, quod non posset non placere diuino poetæ, si, quod ipse idcirco non fecerat, quia necesse non habuisset facere, scribens epistolam, non artem, ab alio factum conspiceret, non detrectandi, sed laudandi studio. COL. *Age, ambo quæramus seria ludo, Riccobone suauissime: non enim tibi iratus sum, quòd meum de Horatio iudicium ludibrio tibi esse ostendas, appellans me uirum quendam doctum: sic loquuntur, qui naso suspendunt & irrident.* RICC. *Appellas me suauissimum, qui tibi uisus sum plus nimio insuauis, & acerbus, ut res ipsa comprobauit. Ais te non esse mihi iratum, & tamen caussam iræ agnoscis, nempe contentionem ludibrio factam, quod te per uirum quendam doctum significauerim, cum tradat Aristoteles, irasci homines solere illis, qui derident, qui ludibrio habent, qui dictis aculeatis mordent, & cōfigunt. Quid? uolebas te appellari indoctum? Sed docet idem Arist. agnosci quandoq; non solum id, quod factum est, ut incestum Canacis, & Macarei, sed etiam id, quod factum non est, ut congressionem Hippolyti, cum Phædra; cuiusmodi sane fuit tua sapientissima agnitio, cum in suspicionem uenisti te à me ludibrio haberi, alioqui uirum doctum, disertissimum, & alijs honorificis uocabulis nuncupatum, ob quam agnitionem mihi tantopere maledicis; fortasse, ut nonnulli aiunt, merito meo, quòd eum honorem tibi habuerim, quē ipsorum iudicio habere non debebam. Sed nunquam desinam te honorare, modo id præstare coniunctim cum*

honore meo queam, etiam si omnia irarum signa in te fortasse conueniant, quæ quidem exprimebat Plutarchus, oculi truces, os turbidum, immaniter clamare, in spumam, ruboremue efferuescere, putenda dicere, aut penitenda, omnino trepidare ira, & gestire; quæ omnia in te mihi uidere videor ex ista tua male morata responsione. COL. *Quid te impulerit in hunc maleuolum aduersus me animum, equidem existimare non possum, nisi forte ægre tulisti, ad Aristotelis Aethica interpretanda tibi petenti me non petentem, prælatum esse, & repugnantem. Ioannem Michaelium tu certe videris parui fecisse, qui mihi tantum tribuat: & cum huius tanti viri iudicio illustrissimorum etiam virorum, qui me tibi præposuerunt, iudicium damnas.* RICC. *Non animo maleuolo, sed studio veritatis impulsus sum. Cum enim præ manibus haberem artem Poeticam Aristotelis, vt eius Compendium facerem, mihiq. res poeticas pertractanti tuum de Methodo Horatiana Commentarium legere accidisset, ac nihil mihi illo tuo libello persuasum fuisset, quoniam à Cicerone didiceram litteratorum dissensiones sine conuicijs tractatas non esse vituperandas, in animum induxi illud facere, quòd mihi liceret, vt absque contumelijs, suppresso tuo nomine, teq. honorifice significato meam sententiam aperirem, & cum compendio Poeticæ Aristotelis ederem. Tu vero aliam caussam excogitas tuo morbo animi maxime congruentem. Equidem non inficior petijsse me munus Ethicorum, & Moralium; non Aethicorum, vt tu scribis, & eorum, quæ sunt de æstibus, & ardoribus, & feruoribus iræ tuæ respondentibus publice interpretandorum: quoniam & alij ordinis mei clarissimi viri id muneris obiuissent: & ego tantum studij in eo genere posuissem, vt & hanc operam meam quantulancumque offerre Serenissimo Principi meo dignum existimauerim: sed statim in voluntate Illustrissimorum Gymnasij Moderatorum penitus*

acquieui:

acquieui: atque ob hanc vnam caussam, quòd sapientissimorum virorum iudicio quamuis parum notus, mihi in hac clarissima omnium gentium, & nationum luce viginti abhinc annos uersato, alijsque viris clarissimis prælatus esses, te meritissimo prælatum esse mihi ipse persuasi. Nam, quod non sine magna, quæ tua propria est, ostentatione, atque iactatione addis, non petentem, & repugnantem, id si vel verum, vel verisimile est, tribuere profectò debet prosperæ tuæ fortunæ, & summæ illius Patroni tui benignitati, qui pro te petijt, tibique talem dignitatem confecit. Sed non idcirco mihi præclusam esse viam sum arbitratus tecum veritatis caussa, modestissime disputandi. Videbitur, inquit Aristoteles, fortaße melius esse, & oportere pro conseruatione veritatis etiam propria tollere, præsertim verò qui philosophantur. Cum enim amici sint, sanctum est, principem locum tribuere veritati. Quòd si per Aristotelem veritatis causa oportet etiam propria tollere, nedum aliena; etiam amicorum, nedum ignotorum: quanto magis licebat mihi eiusdem veritatis caussa, à Colonio dißentire? Neque vero, quia dißensi, idcirco viros illustrissimos paruifeci, eorumque iudicium damnaui, vt tu falsò argumentaris. id enim, ea modestia feci, quæ magis mihi, quàm tibi conueniebat. Sed tu vere contempsisti, ac despicatui duxisti non solum Ioannem Michaelium, qui me quoque pro sua benignitate semper mirabiliter fouit, & auctoritate extulit; non solum Illustrissimos Moderatores, communes omnium huius Gymnasij Doctorum patronos; sed etiam Serenissimum Principem, & Illustrissimum Senatum vniuersum, qui iam tot annos meam publicam operam non prorsus inutilem iudicauit, meque sibi complectendum, atque exornandum putauit: ni-

mirum, dum me tam indignis modis reprehendis; dum absurdissimum, ridiculum, imperitum, fatuum appellas; dum nihil prætermittis eorum, quæ ad ostendendam insolentiam, & arrogantiam tuam pertinere posse videantur. Et hæc putas, placere patronis tuis, qui te tamquàm bene moratum deprædicant? Falleris, si ita putas. COL. *Intelligere potes, me non modo lacessitum, sed officio adductum, ac prope coactum tibi respondere. Falleris ergo, si putes me ira incensum.* RICC. *Te lacessiui, non nego: sed veritatis caussa lacessiui, & quidem modestissime. Illud vero, quod officium vocas, cum à bonis moribus sit alienum, turpe potius factum debet nuncupari, vt hominem fortasse tibi minime aspernandum tantopere asperneris. Facile autem fuit diuinare, te ira plenum existimatum iri cum istis tuis furoribus, & indignitatibus, qua de re non fallor, dum omnes iræ effectus conspicio.* COL. *Vtrius tandem nostrum conatus est laudabilior; tuusne, qui asseris Horatium effutire in eo libello, & inconsideratum, & oscitantem scriptorem significas: an meus, qui quàm maxime possum, enitor ostendere, Horatium esse Methodicum scriptorem?* RICC. *Non affirmo Horatium effutisse, & esse inconsideratum, atque oscitantem scriptorem: sed eum noluisse tali Epistola perfectam artem conscribere, & non habuisse in animo Methodicè scribere, sed solum de quibusdam ad artem pertinentibus Pisones amicos suos certiores facere. Tu vero omnia distorques. Quod autem quæris, vtrius, sit laudabilior conatus, tuusue, an meus; certum est ad modestum pertinere, authore Aristotele, vt mediocribus dignus, mediocribus dignum se existimet: ad magnanimum autem, vt curet magis veritatem, quàm inanem hominum opinionem nec curet,*

ret, vt inaniter laudetur: & veracis proprium esse, vt verum profiteatur; veritatis sit studiosus; verum dicat: obsequentis uero, vt delectet, & adulatoris, vt aliquid lucretur adulatione sua. Quare si credimus Horatium modestum fuisse, & magnanimum, probasset sine dubio factum meum, vt hominis veracis, ei tribuentis laudem conuenientem, & de eo scribentis veritatem, vt Epistolam recte exarauerit, non inanem opinionem excitantis de Methodo, quam ipse non excogitasset; potius, quàm istud tuum inuentum obsequiosum, atque adulatorium de Methodo Horatiana; de quo non est mirum, si valde pertinacem te ostendis. Tradit enim Arioteles tria esse genera Pertinacium, Suæ sententiæ homines, Ineruditos, Rusticos. COL. Videamus nunc, Methodi vim vter nostrum melius intelligat. RICC. Videamus: satis enim, superque præter rem egisti in tantulo Libello, vt in me inueheretis, & iram tuam euomeres. COL. Primo non videris ipse tibi satis constare, qui nolis Horatium tradidisse omnia, quæ pertinent ad Poeticam: & tamen hæc, quæ scripsit, dicis ad Methodum redigi posse. RICC. Videor ipse mihi satis constare, qui quamuis dixerim Horatium Methodicè scribere in animo non habuisse: tamen ostendi ex eo, tamquam ex uberrimo omnis doctrinæ fonte, si non omnia, quæ attinent ad Poeticam, ac certe multa, quæ Methodice traduntur, hauriri posse. COL. Methodi vocabulum omnia comprehendit, quæ pertinent ad genus, quod tractatur. Si in illa scriptione non sunt omnia, quomodo tu ex illis Methodum componas? RICC. Non pugnantia crepo, vt argumentaris, nec, quod nego, aio: sed dico non omnia quidem comprehendi in Epistola ad Pisones secundum partem, sed omnia contineri vniuersè, ut omnia,

quæcunque egerit Aristoteles, quodammodo attigisse Horatius videatur. Methodus, inquit Eustratius, est habitus, qui cum ratione progreditur, quam Methodum dicebam, apud viros doctos duplicem esse: vnam resoluendi, quæ à toto ad partes progrederetur: alteram componendi, quæ à partibus ad totum. Cumque tu significaueris ab Horatio Methodum resoluendi seruatam esse, notabam non fuisse necesse seruari ab eo, qui Epistolam, non Artem scriberet, sed quæ in tali Epistola continentur, potuisse ad Methodum redigi, si uoluisset Horatius: non enim profiteor me fecisse illud, quod Horatius Facere ignorauerit, sed quod noluerit, quia in Epistola id necesse non haberet. Repeto enim sæpius, vt sententiam meam melius intelligas. Totum in poetica uis esse Fabulam: & tamen de hoc toto confiteris non fuisse ab Horatio uniuerse disputatum, sed tantum secundum partem: vt de fabula Epica, Tragica, Comica, Satyrica, cum, quidquid traditur de fabula in prioribus carminibus triginta, & septem, id totum de fabula Epica intelligendum esse contendas. Addis, agi primum de fabula Epica, tamquam omnium difficillima; quæ sane difficultas nota est: tamen eam probas per id, quod ignotum, & falsum est, quoniam alijs fabulis præter Epopœiam uel non conueniunt Episodia, Tragœdijs simplicibus, & Comœdijs, & Satyris: vel conueniunt quidem, sed pauca, & breuia, vt illis fabulis, quæ implexæ sunt. Ego uero demonstraui esse falsum illud, quod dicis: Episodia non conuenire Tragœdijs simplicibus, & Comœdijs, & Satyris: & ipsarum Tragœdiarum, atque Comœdiarum tres esse partes, quæ dicuntur Episodia ex doctrina Aristotelis; nempe Episodium primum, qui est Actus secundus: Episodium secundum, qui est Actus tertius, Epi-

ſodium tertium; qui eſt Actus quartus, ſiue contineant fabulam ſimplicem, ſiue implexam. COL. Melius fortaſſe eſt, vt hoc loco prius tibi reſpondeam de Epiſodio, in cuius nominis ui intelligenda tibi mirificè places, & affers Ariſtotelis locos in Poetica contra meam ſententiam, quos docebo te non intelligere. RICC. Cum duplex ſit ignorantia, teſte Platone, Vna eius, qui ignorat, & cognoſcit, ſe ignorare; Altera eius, qui ignorat, & putat ſe ſcire: profiteor meam primi generis eſſe, atque inſtar Socratis, hoc vnum ſcio, quòd nihil ſcio. Quamobrem cupidiſſime à te, quidquid docueris, diſcam, modo rationem afferas tuæ doctrinæ: non enim es Pythagoras, ut illud mihi ſatis ſit; Ipſe dixit. COL. Cum ego dico, ponens, quid nomen ſignificet, Epiſodium eſſe rem aſſumptam foris ad delectandum, hanc nominis interpretationem reprehendis, vt traditam nimis vniuerſe. Quod quid ſit, fateor me non intelligere. RICC. Id declarabo, ſi non intelligis. COL. Nominis ſignificatio eſt proprium quid, & ſingulare. Quid eſt, quæſo te, in eiuſmodi re ſingulari indicanda nimis vniuerſe indicare? RICC. Nominis ſignificatio tunc dicitur nimis vniuerſe tradita, cum poteſt intelligi multis modis, & non exprimitur, quomodo intelligatur. Vt cum Epiſodium vniuerſe ſignificet rem aduentitiam, & externam; poteſt intelligi quatuor modis, Primo vt ſit aduentia principali actioni, vel ante illam, vel poſt illam, & nihilominus in illa repræſentetur; in quo genere Epiſodiorum dicebam Ariſtotelem poſuiſſe Nauium Catalogum, quarum apparatus, factus eſt ante actionem Iliadis incipientem ab ira Achillis, & progredientem vſque ad captum Ilium, & nihilominus inſeritur in illa actione.

ctione. Secundò, vt quamuis euenerit tempore actionis, & sit pars ipsius actionis; tamen quia facta sit in loco longinquo ab eo, vbi ipsamet actio repræsentatur, sit aduentitia illis rebus, quæ aguntur in Scena, & per nuntium, aut aliam personam repræsentetur; cuiusmodi Episodium notabam esse Orestis insaniam apud Euripidem, cum furore agitatus pecora cæpitiugulare, ac necare: ob quem furorem captus est: & salutem eiusdem Orestis per expiationem, facto figmento apud Thoantem Regem, prius quàm immolaretur, eum expiandum esse vna cum statua Dianæ, in mari longè à ciuitate, per huiusmodi fictam expiationem seruatus est. Tertiò, vt sit aduentitia facto summatim cognito, nimirum inuenta à poeta ad ostendendam naturam facti summatim cogniti, & augendam fabulam, in qua significatione scribebam, locutum esse Aristotelem, cum præcipiebat fabulam non oportere esse Episodicam, id est, contaminatam Episodijs, nec verisimiliter, nec necessariò nexis, Exempli gratia, Factum summatim cognitum in Aeneide est, nauigatio Aeneæ in Italiam. Ad ostendendam vero naturam illius facti summatim cogniti, multa episodia inuenta sunt à Virgilio, quibus distinguitur illa Poesis. Quartò, vt sit aduentitia ingressui, & exitui Dramaticæ fabulæ, vel, vt uocabulis Aristotelis vtar, aduentitia Prologo, & Exodo; in quem sensum aiebam Aristotelem definiuisse Episodium, partem integram Tragœdiæ interiectam inter duo Chorica. Et hoc in doctrina Aristotelis illis, qui eum intelligunt, est tam certum, quàm quod certissimum. Quas quattuor Episodij significationes primus obseruauit Ludouicus Casteluetrius, subtilissimus Poeticæ Aristotelis explicator. Tu vero non declaras,

de

de quibus Episodijs intelligas. Itaque nimis vniuersè agis. COL. *Episodium rem esse foris ascitam ingenio poetæ, nec eius propriam; quod suscepit scribendum, duobus præcipuè locis indicat Aristoteles in Poetica.* RICC. *Rursus probare conaris, quòd notum est: sed in eo mancus es, quòd nullam affers distinctionem.* COL. *Vnus locus est, ubi tractat de compositione Fabulæ Tragicæ, ubi affert exemplum de Iphigenia in Taurica regione Dianæ sacerdote: & tradit, poetam exponere oportere in vniuersum, deinde Episodijs uti, eaque inserere. Hoc ita manifestum est in Aristotele, vt oculis careat, qui id non videt.* RICC. *Oculis certè caret, qui non videt, hoc pertinere ad tertiam significationem Episodij.* COL. *Alter locus est huic coniunctus, vbi distinguit Episodia Dramatica, & Epica, breuitate, & longitudine; & commemorat factum Odysseæ, atque ait hoc esse proprium illius fabulæ, cetera Episodia.* RICC. *Intelligit Arist. proprium Odysseæ factum summatim comprehensum, quod poeta mutare non potest: episodia verò, quæ mutare, & variare potest ex varijs caussis, & modis, qui ab arbitrio ipsius pendent Poetæ, quæ quidem Episodia referuntur etiam ad tertiam significationem.* COL. *Quod dicis obseruatum esse ab alijs, apud Aristotelem accipi Episodia quattuor modis, est obseruatio falsa.* RICC. *Hoc, vt supra quoque dicebam, obseruatum est à Ludouico Casteluetrio, & uerissime obseruatum, ut patet allatis Aristotelis exemplis.* COL. *Illud, quòd Episodia de his accipiantur, quæ antecesserunt actionem fabulæ, & quæ in ipsa actione repræsentantur, nonne allatum exemplum de Catalogo nauium, & de alijs Episodijs, quibus Homerus poesim illam distinguit; ostendit, eiusmodi Episo-*

dia

dia non esse Dramatica, sed Epica: vos autem id non animaduertentes, posuistis Episodium accipi de rebus uel antecedentibus, vel præsentibus, quæ aguntur in scena. RICC. *Dum nimis iratus es, parum emendate loqueris, Illud, pro, Quod attinet ad illud. Quod noto, vt signum potius iracundiæ, quàm ignorantiæ tuæ, etiam si quandoque uel in Commentario tuo, vbi Eloquentiam tantopere ostentas, parum emendata elocutione utaris. Sed ad rem: Non dixit Casteluetrius de rebus vel antecedentibus, vel præsentibus, quæ aguntur in scena; sed pro rebus, quæ antecesserunt actionem poematis, aut secuturæ sunt; quæ per personam introductam in ipso poemate, aut alio modo inseruntur in actione. Ego vero dixi, quandoque accipi Episodia pro ijs, quæ partim antecesserunt actionem fabulæ, partim consecutura sunt, & in ipsa actione repræsentantur. Verum debes intelligere, res ipsas repræsentari, notasque fieri duobus modis, vel per enarrationem, vt in Epopœia; vel per scenam, ut in fabulis dramaticis. Tu uero, quasi locuti simus de sola scena, nos reprehendis. At dato tibi, quod uis, repræsentari intelligendum esse de sola scena, nonne exempla Episodiorum Epicorum, qualis est nauium Catalogus, etiam seruiunt Episodijs dramaticis declarandis? Vt facit sæpe Aristoteles, materiam Tragicam declarans exemplis Epicis. Quid vero tibi prodest reprehensio ista ad probandum illud, quod proposuisti, falsam esse nostram de prima Episodij significatione obseruationem? Nonne nihilominus Episodium significat, rem quæ antecessit actionem fabulæ? Quod luce clarius probatum est per Catalogum nauium insertum in actione Iliadis, tamquàm Episodium, licet apparatus illarum nauium, factus sit ante illam actionem.*

nem philosophi uerba sunt, Diuinus apparere Homerus preter ceteros potest, quòd non bellum aggressus est uersibus totũ describere; sed cũ abstulisset vnam partem, nempe ab ira Achillis vsque ad Ilium captum, Episodiis vsus est multis, vt nauiũ Catalogo, & aliis episodiis, quibus distinguit poesim. *Quid respondes ad hoc? COL. Illa igitur Episodia de re, quæ ante cessit, vt Catalogus nauium apud Homerum, ut apud Virgilium Ilij Euersio in Secundo libro, & Liber tertius, quæ acciderunt Aeneæ nauiganti ab Ilio, & in Africam tempestate delato; & rursus apud Homerum, quæ Vlysses narrat apud Phæaces, sibi multos annos erranti accidisse, & alia diuersa, & uaria, ex quibus componitur Epica fabula; sunt hæc ipsa, quæ dico, ex quibus augetur Fabula ad delectandum. RICC. Nonne animaduertis hoc, quod concludis, pro me facere; et probare primam Episodij significationem? COL. Quæ tu, dicis, per nuntium, aut aliam personam populo nota fieri, non sunt Episodia; sed ex ipsius fabulæ materia propria. RICC. Non admittis hanc secundam Episodij significationem? Audias uerba Aristot.* Post hæc, cum quis iam nomina supposuerit, eum Episodijs uti oportebit: &, quando erunt propria episodia, considerare, ut in Oreste insania, propter quã captus est, & salus per expiationem. *COL. Vbi philosophus reprehendit fabulas Episodicas, ipse, se ipsum declarat, quid uelit dicere.* Fiebat .n. & vitio poetæ imperiti, & culpa histrionum, qui cupiebant placere populo, & vincerent. *RICC. Ecce alius Solæcismus*, vincerent pro vincere. *COL. Vt componerentur fabulæ cum Episodijs nec necessarijs, nec congruentibus, & quæ nullo modo cum fabula cohærerent.*

Itaque nec ex eo loco colligi potest diuersum genus Episodiorum. RICC. Immò colligi potest, siquis attentius uelit considerare, ut Episodia sint, quæ inuenta sunt à poeta ad ostendendam naturam facti summatim cogniti. Sed oculos claudis, ut id non uideas, quod te conuincit. COL. Postremus locus, est, ubi sic enumerantur in libris impressis partes fabulæ Tragicæ; Prologus, Episodium, Exodus, Chorus, Parodus, & Chorus stasimus. RICC. Aristoteles dicit Choricum, et non chorum; cuius chorici una pars sit Parodus; altera, Stasimum. Vocabula autem artium, non sunt immutanda. COL. Hic pro Episodium, legendum est Episodos. RICC. Audes hoc dicere? Siccine mutas uocabulum artis, omnium consensione; omnibus libris & impressis, & manu scriptis comprobatum? Quis hoc tibi afflauit Deus? Qua auctoritate uteris? Si non habes auctoritatem, qua ratione adduceris? COL. Nullo enim modo uox Episodij, potest hic conuenire; cũ demonstratum sit ante; Aristotelem distinguere Episodia ab eo, quod proprium uocat fabulæ: sic enim postulat etiam nominis Etymologia. RICC. Vbi demonstratum? Quæ ista est Etymologia. Nam, tametsi Episodium est quid separatum ab eo, quod proprium fabulæ, uocatur in prima, & tertia significatione: tamen in secunda, philosophus apertissime appellat Episodia propria fabulæ: & in quarta similiter sunt tam propria, quàm quæ maxime. Nec obstat etymologia uocabuli, vt supra ostendi: sunt enim semper aliquo modo aduentitia. Sed, cum Aristoteles definiat episodium partem integram Tragœdiæ inter integros Choricos cantus, & sic secundum, tertium, & quartum actum, quod demonstrat falsissimum esse illud, quod

trade-

tradebas, episodia non conuenire simplicibus Tragœdijs, & Comœdijs, quæ nihilominus habent omnes tria episodia, & quidem satis magna, cum singula singulos actus complectantur; quanam per Deum immortalem est ista tua noua Episodus, ad quam subterfugis, & ad quam, vt in naufragio ad scopulum adhærescis? COL. Episodus est primus ingressus, & actus fabulæ ante chorum canentem inter medios actus, cui opponitur Exodus vltimus actus, post quem, nullus est Chori cantus. RICC. O præclaram doctrinam, nunquam satis admirandam. Quam partem Aristoteles Prologum appellauit, tu nominare audes Episodum? Hoc enim modo ab eo definitur prologus, pars integra Tragœdiæ ante Chori parodum, id est, totus primus actus, cum hic prologus sit coniunctus cum fabulæ actione, non ille separatus ab actione, qui fit in Comœdijs. Vide igitur, quid facias. Primum, prologo nomen proprium aufers, & nouum affers: deinde secundum, tertium, & quartum, actum nomine Episodij significatum, sua priuas nomenclatione: præterea diminutum facis Aristotelem, & ridiculum, ponentem duas partes, quæ sint vna, nempe Prologum, & Episodum tuam, pro primo actu; Exodum pro quinto; & Choricum pro parte interiecta inter duos actus, nullumque nomen attribuentem secundo, tertio, & quarto. Quæso, ne talia dicas, nisi uis omnium risum concitare, Cogita, quam personam susceperis, vt Aristotelem interpreteris, non laceres, discerpas, dilanies cum istis tuis fugis potius corruptricibus, quàm emendatricibus: pro comperto habe, non licere Doctoribus Gymnasij Patauini in oculis omnium gentium, & nationum doctrinam suam profitentibus sic conniuere. COL.

Nullus igitur modus ex quattuor illis est in Aristotele, qui variet nomen Episodij ad multiplicem significationem. RICC. *Demonstraui contrarium, illudque disputatione mea confeci, si loquamur de primis, secundis, & tertijs episodijs, nullam caussam esse, contra quàm tu scripsisti, cur simul, & fabulæ simplici, & implexæ non possint conuenire, & non solum simplicibus Tragœdijs, sed etiam ceteris omnibus dramatibus, quamuis non tam longa: quarta vero episodia esse propria Tragœdiarum, & Comœdiarum. Nam, ita me Deus amet, affatim ridiculum est, quod de Episodo conscripsisti.* COL. *Cum hæc aperta sint in Aristotele, quid est, cur tantopere clames, me non attulisse verba philosophi?* RICC. *Non clamo: sed, cum scripsisses, docere Aristotelem, videlicet de Peripetia, & Agnitione, in alijs fabulis aut nullum episodium adhiberi, aut vnum, vel ad summum alterum; intelligens in simplicibus nullum adhiberi, in implexis pauca, quod est tam falsum, quàm quod falsissimum: quæsiui ex te, quænam essent verba Aristotelis id declarantia. Neque enim, vbi agit de Peripetia, & Agnitione, neque alibi in Poetica id tradit. Tu vero loco afferendorum verborum, affirmas omnia esse aperta, cum apertum sit nihil, nisi te non probare, quod proponis.* COL. *At tu ea uerba non vidisti.* RICC. *Non vidi, quia nulla sunt. Nam si essent, vidissem, non solum cum tam sæpe totam Poeticam legi, vt publice explicarem; verum etiam cum eam latinè conuerti: cum eius Paraphrasim feci: cum Compendium exaraui. Nisi forte nos vera Poetica careamus, quam tu solus habeas, vbi tuam istam Episodum, & alia speciosa miracula inuenias.* COL. *Nec eorum quidquam vidisti, quæ antea vel esse ostendi, vel non esse in Aristote-*

le.

le. RICC. De hoc aliorum erit iudicium, vter noſtrum cæcutiat. COL. Nec vidiſti, quid ſit fabula ſimplex, quatenus diſtinguitur ab implexa, cum dicas, ſimplicem eſſe, quæ non contineat multiplices actiones: perinde quaſi fabula, quæ præcipitur eſſe vna, conſtrui etiam poſſit ex multiplicibus actionibus. Et quando ſimplex fabula duplici opponitur, dicis duplicem fabulam eſſe continentem duo genera perſonarum partim bonarum, partim malarum; cum apertè dicat Ariſtoteles, ſimplicem eſſe, in qua vna fit mutatio, puta ex felicitate in miſeriam, quod magis proprium eſt Tragœdiæ: duplicem autem, in qua duplex mutatio fit, vt in Odyſſea, Vlyſſis ex miſeria ad felicitatem, procorum contra. Sic, prauis oculis vidiſti, quod ego ſcripſi in Commentario, Epiſodia in alijs etiam fabulis eſſe partes fabulæ. Nonne ſic præcipit apertè Ariſtoteles, vt Epiſodia ſint propria, vt Oreſtis inſania, & eiuſdem agnitio? RICC. Apertè dixi, & apertius dicam, vt intelligas, ſi vis intelligere, Simplicem fabulam in Poetica Ariſtotelis intelligi tribus modis; primùm quatenus diſtinguitur ab implexa, & habet vnum fortunæ tenorem (non enim dicit Ariſtoteles in ea fieri mutationem ex felicitate in miſeriam, vt tu falsò exponis, & vt inferiùs quoque apparebit) cum implexa habeat mutationem ex proſpera in aduerſam fortunam; quemadmodum intellexit philoſophus, vbi egit de fabula ſimplici, & implexa, & ubi tradidit, oportere eſſe magis nexam, quàm ſimplicem: deinde, quatenus diſtinguitur à duplici, & continet vnum perſonarum genus, cum duplex contineat duo contraria genera; vt cum præcepit oportere egregiè ſe habentem fabulam, eſſe magis ſimplicem, quàm duplicem, & deſinere fabulam duplicem ex contrarietate

rietate melioribus, & peioribus. Postremo quatenus distinguitur à multiplici, & est eadem, atque vna; vt cum scripsit simplicium fabularum, actionumùe episodicas esse pessimas, id est, earum, quæ continent vnam actionem. Tu vero primum vis me confundere primam significationem simplicis fabulæ cum tertia; quod non facio. Constare autem fabulam quandoq; ex multiplici actione, non eã quam ipse probat, quæ debet continere unam actionẽ vnius, sed eam quam reprehendit, idem docet, vbi scribit, omnes videri peccare, quicunque ex poetis Herculeidem, Theseidem, & alia poemata fecerunt: putare enim eos, quoniam vnus erat Hercules, vnam etiam fabulam esse, scilicet ex multis actionibus Herculis constantem. De secunda significatione conaris me reprehendere, & nihil proficis. Nam idem prorsus dico, quod Aristoteles: is enim desinere duplicem fabulam ex contrarietate, melioribus, & peioribus: ego, in duplici fabula contineri duo genera personarum partim bonarum, partim malarum. Tu quoque idem, in duplici duplicem mutationem fieri, vt Vlyssis, id est, vt ait Arist. personæ melioris, vt ego personæ bonæ ex miseria ad felicitatem: & procorum, id est, vt inquit Aristoteles peiorum, vt ego, malorum contra. Quid igitur est illud, in quo me reprehendis? Quod autem confiteris quædam episodia esse propria fabulæ, & partes ipsius, vt Orestis insaniam, & eiusdem agnitionem (Aristoteles ait Orestis insaniam, & salutem per expiationem) hoc repugnat superiori tuæ contentioni, quòd episodia prorsus sint diuersa à proprietate fabulæ. Ergo tu es ille, qui modo negas, modo ais, prout affirmatio, vel negatio caussæ tuæ seruit. C O L. *Quàm multa praue intelligas vel in Aristotele, vel in Horatio, erit alius etiam dicendi locus.*

RICC.

RICC. Semper libentissime à te, & à quolibet alio discam, etiamsi adhuc nihil à tuis scriptis potuerim discere, tam peruersa uis docere. Sed fieri potest, ut, cum tuus animus perturbatione caruerit, me nonnihil doceas. Quod nunquam recusabo iunior apud seniorem, dummodo probabiliora, & veriora afferas. COL. Videris non satis probare, quod ego vocem fabulam, subiectum genus Methodi Poeticæ, quam Aristoteles uocet finem; & videris ignorare subiecta facultatum, & scientiarum esse etiam fines, quatenus habent rationem boni. RICC. Sciebam rem consideratam, & , vt barbari loquuntur, subiectum materiale pluribus artibus conuenire, vt exempli gratia corpus humanum à pluribus artibus consideratur; de quo subiecto loquebatur Auerroes in librum primum Posteriorum, cum tradebat in omnibus scientijs esse aliquid, quod genere vnum esset, cuiusque partes ad vnam communem naturam reducerentur. Non ignorabam modum considerandi, seu, vt barbare uocatur, subiectum formale restringere materiam communem ad vnam aliquam artem, vt corpus humanum restringitur ad Medicinam per hunc modum considerandi, quatenus est sanabile. quæ ratio formalis non videtur esse finis, sed deduci à fine. Nam finis Medicinæ est sanitas: quatenus vero humanum corpus est sanabile, dicitur ratio formalis. Quoniam autem cognoscebam hanc differentiam esse perexiguam, ita vt ratio formalis, & finis haberi pro vna, & eadem re posset; idcirco dedi tibi subiectum genus Poeticæ esse fabulam, quæ à philosopho finis vocatur. Tu vero pro re data me reprehendis, quasi non nouerim ea, quæ sunt tam nota, quàm quæ notissima: nec ullam distinctionem adhibes de subiecto poeticæ, cum aliud sit subiectum materiale,

vt

vt actiones personarum, aliud formale, vt quatenus sub fabulam cadunt, aliud adæquatum, quod ex illis duobus subiectis constituitur, constans tum ex re considerata, tum ex modo considerandi; de quo agebat philosophus lib.1.Posteriorum,Contex. 43. COL. Non probas, quòd faciam quatuor tantum poeses. Vt omittam, quòd ego non poeses, sed fabulas dicam esse quattuor, si propriè Poeta est, qui fabulas fingit, nonne sequitur & poeses propriè dici, quæ fabulas continent? & Aristoteles, sicut Horatius, de fabulis tantum præcepta tradit. RICC. Vel non intelligis, vel fingis te non intelligere, quid mihi non satis probetur, non quòd fabulas appellas poeses, sed quòd in explicanda doctrina Horatij, diuersam facias poesium enumerationem ab illa, quam fecit ipsemet Horatius; cum tu enumeres fabulam Epicam, Tragicam, Comicam, Satyricam: Ille uerò poema Heroicum, Elegum, Iambicum, Comicum, Tragicum, Fidibus accommodatum; ubi fortasse Satyrici poematis mentionem non facit, quoniam id ad Tragicum referat, contra quàm tu sentis. COL. Dicis, si de Epopœia tractatum fuisset Methodicè, oportuisse unum in locum exemplo Aristotelis conducta esse omnia, quæ pertinent ad Epopœiam. Malè ergo facit Aristoteles, qui de Comœdia, Tragœdia, Epopœia non pauca dicit vniuerse disputans, antequàm accedat ad tractationem singularem. RICC. Negatur ista consequentia. Rectè enim fecit Aristoteles, qui primum ut poeticæ naturam vniuerse declararet, eiusque colligeret differentias ex varietate instrumentorum, personarum, modorum imitandi, ac poeticæ originem inuestigaret; modo hanc, modo illam poesim nominauit, prout ad propositum suum pertinebat. postea vero præcepta, quæ singularum poesium essent propria, tum de partibus con-

forma-

formantibus, tum de partibus quantitatis, tum de ceteris omnibus, quæ ipsarum proprietatem attingerent, vnum in locum conduxit; vt uidemus factum esse de Tragœdia, & Epopœia, ac verisimile est eum de alijs fecisse. Quam singularem tractationem intelligebam, cum argumentabar, si voluisset Horatius Methodicè disputare, vt facile potuisset, si Artem, non Epistolam scribere in animo habuisset, eum facturum fuisse simile aliquid, quod fecerat Aristoteles. COL. Quando nihil probas in Methodo mea, contemplemur tuam. RICC. Si id facere uelimus, inueniemus eam prorsus formatam ex præscripto Arist. COL. Dicis incipiendum ab vniuersalioribus, à quo id didicisti? RICC. Ab Aristotele, apud quem Methodus resoluendi postulat, vt totum, & propositum genus resoluatur in partes, & species suas. COLONIVS. Aristoteles semper incipit à re proponenda, quam tractare uult: sic est & principium poetices. RICC. Quasi res, quæ proponitur, non possit, & non soleat esse vniuersalis ad partes multas, quæ sub ea continentur. COL. Abs te quæro, qua ratione laus poetices, est omnium maximè vniuersalis, quæ pertinent ad Poeticam: nisi forte, quia laus est res maxime communis, quæ tribui potest omnibus entibus. RICC. Sophisticè agis. Laus est res maxime vniuersalis, quia pertinet ad poeticam in vniuersum, & conuenit singulis eius partibus, & speciebus. COL. Sicuti res est maxime communis, erit etiam maximè remota à Methodo suscepta. RICC. Laus poeticæ est maxime communis, quia conuenit omnibus poesibus: non est maxime remota, quia est propria ipsius Poeticæ, & ex proprijs ducta, non communis aliarum artium. Sed relinquas quæ-

so ista tua Sophismata, & captiones. COL. *Ab Aristotele laudatur Rhetorica ante praecepta. ergo extra Methodum, cuius ipsa laus nulla pars est.* RICC. *Non extra Methodum, quatenus illud, quod vniuersalius est, tractatum ante illa, quae minus vniuersalia sunt.* COL. *Cum laude coniungis quaestionem,*

Natura fieret laudabile carmen, an Arte.

RICC. *Quis non intelligat hanc quaestionem de natura, & arte praecedere praecepta artis?* COL. *Quam similiter Horatius collocat in postremis, sicut facit Aristoteles tum alibi, tum in Poetica, qui postquam tradidit, quae pertinebant ad Tragoediam, & Epopoeiam, vltimo loco disputat, vtra sit alteri praeponenda.* RICC. *Nego similitudinem. Aristoteles enim non poterat, non facere, quod fecit, vt prius declararet naturam vtriusque poesis, & postea alteram cum altera conferret. Horatius uero, priusquam praecepta artis traderet, optime poterat illam quaestionem pertractare, exemplo Aristotelis, qui prius egit de origine poesis, tributa duabus caussis naturalibus, imitationi, & harmoniae; & postea praecepit, quae poesibus conuenirent.* Conaris *igitur*, nec proficis hilum. COLON. *Nunc rationem Horatianam in constituendo Methodi principio confer cum tuis ineptijs.* RICCOB. *Turpe est te nullum maledictis, & contumelijs finem facere. Sed audi sententiam Aristotelis;* De alio sic dicere, aut conuicium habet, aut rusticitatem. *Vter autem sit ineptus, viri docti iudicabunt.* COLON. *Vereor, ne in cognoscendo, & iudicando, vtaris phantasia pro ratione, sicut animantia, quae ratione carent.* RICCOB. *Hoc cum ceteris acceptum refertur praeclaris moribus tuis.* Sed

qui

qui malam caussam habent, *inquit idem Aristoteles* aut qui videntur habere, vbique potius uersantur, quàm in re: seruorum exemplo, qui cum deliquerint, loquuntur ea, quæ circum sunt. *COLON. Postrema, quæ in Methodo esse debent, prima fecisti, & indignè lacerans viri doctissimi, & diligentissimi Methodum, monstrum composuisti. RICCOB. Poeticum corpus ex præscripto Aristotelis formaui, ut vniuersè explicatis laudibus poetarum, & quæstione illa, de Natura, & Arte, & reprehensis illis, qui volunt videri furore perciti, ac ostensa poematum excellentia, quemadmodum Aristoteles considerat in poesi tum partes ipsam conformantes, vt fabulam, mores, sententiam, dictionem, melopœiam, apparatum; tum partes quantitatis, vt Prologum, Episodum, Exodum, Choricum, & in fine libri sui agit de reprehensionibus, & excusationibus poetarum: sic, quæ scripsit Horatius ad ea capita pulcherrime redigerentur. COLON. Quod tu cum alijs dicas, prioribus versibus tredecim præcipi fabulam esse debere ex partibus, ex quibus unum quoddam corpus, & vnius formæ constituatur, nihil dicis, non enim explicas, cur hoc præcipiendo, utatur exemplo partium adeo monstruosarum. RICCOB. Non explicatur tamquam notissimum per eam reprehensionem.*

——Vt nec pes, nec caput vni,

Reddatur formæ. *Vnde apparet membra reddenda esse vni formæ, & fabulam oportere esse vnam, & vnius corporis, ac formæ, nè sit monstro similis. COL. Velitis, nolitis omnes, quotquot estis, quicunque estis, quibus variare conatur poeta, quam sumpsit scribendam fabulam, ea vocantur Episodia ab Arist. RIC C. In hoc tecum conuenimus, nisi quòd*

facimus quattuor genera Episodiorum ex locis Aristotelis superius citatis: tu vero nimis vniuersè agis de ipsis Episodijs; vt supra demonstratum est. COL. *In sequentibus carminibus præcipi dicis, vt fabula non sit Episodica, id est contaminata superuacaneis Episodijs. Hæc non esse Episodia, quorum affert Hor. exempla, satis constat ex superiori disputatione, non enim possunt fieri partes fabulæ, vt dixi etiam in Commentario.* RIC. *Quomodo probas in isto, quem tantopere celebras, Cõmentario, hæc, de quibus agit Horatius, non esse partes fabulæ, qualia sunt Episodia?* COL. *Quia sunt digressiones à re proposita, quæ à poeta Epico, dum modis omnibus variare suum poema nititur, ineptè adhibentur.* RIC. *Immo quia sunt digressiones, idcirco sunt Episodia, in tertia scilicet significatione: &, quia ineptè adhibentur; ideo reddunt fabulam Episodicam, contra præceptum Aristotelis.* COL. *Falleris igitur cum alijs, qui nusquam alibi, nisi hoc loco, putant tractari de Episodijs.* RICCOB. *Eam opinionem secutus sum, quam & Franciscus Luisinus, vir doctissimus, & disertissimus, ac præclarus Epistolæ ad Pisones explicator, qui ita scripsit contra sententiam Iacobi Grifoli, quam tu pro tua uenditas;* Iacobus Grifolus, vir sanè eruditus, adhuc primum præceptum ab Horatio tradi existimat; à quo ego vt dissentiam, ea me ratio impellit, quòd cum Episodia in arte Poetica illustrem semper sibi locum vendicent, de ijs nullum verbum fecerit Horatius, si reticuisse eum hic de Episodiis existimabimus, & certe locus hic ex Poetice Aristotelis expressus est: ibi enim sic legimus; Simplicium autem fabularum, & actionum, Episodicæ teterrimæ sunt: dico autem Episodicam fabulam,

lam, in qua Episodia nec verisimili ulla ratione; nec necessario mutuò conferuntur. *COLON. Irrides tu coniecturas meas, qui, quamuis vniuerse præcipiatur, oportere fabulam esse vnam, dixerim hoc Horatium docere voluisse in compositione fabulæ Epicæ. RICCOB. Refutaui sane tua argumenta, & coniecturas, ac bene refutaui. COLON. Perfacile est cuique iudicare ex ijs, quæ hactenus demonstrata sunt, quæ dicis esse vel falsa, vt omnia de Episodijs, & Epica fabula. RICCOB. Hæc verba optime contra te conueniunt cum de alijs omnibus, tum de ridicula à te formata, & personata Episodo, in locum Episodij. COLON. Vel puerilia, vt quod dicis, de libro. RICCOB. Dico sane per librum non intelligi magis Epicum poema, & opus longum, quàm aliam poesim; cum sit vel magnus, vel paruus liber. Appellas autem puerilia, & meritò, quæ vel pueris nota sunt, quamuis non tibi natu tam grandi. Ad secundam, & tertiam refutationem meam nihil respondes. quòd per illa verba,* cuius vanæ Fingentur species, *non magis significetur opera adhibita in Episodijs Epicis, quàm aliarum poesium: & quod illud,*

Quidlibet audendi, *non magis possit dici de poeta Epico, quàm de alijs poetis. COL. Vel hominis temere quidlibet effutientis, vt quod dicis de poeta Dithyramborum qui non est scriptor fabulæ: at hic agitur de scriptoribus fabularum. RICCOB. Cum tu diceres hoc carmen,*

Incœptis grauibus plerunq;, & magna professis, *pertinere ad solum Epicum poetam, qui solus initio profitetur se de rebus grauibus, et magnis scripturum, probabam etiam Dithyrambicos talem propositionem facere. Nunc*

vero

vero negas poetam Dithyrambicum esse scriptorem fabulæ? Sed quomodo ex sententia Aristotelis erit poeta, si non scriptor fabulæ? Quomodo ab eo Dithyrambica nominatur Dithyrambopoetica, & Dithyrambicorum poesis, omnino nominatur inter poeses, si non contineat fabulam, animum principium, & finem poesis? C O L. *Vel hominis leuis, & ridiculi, vt quod dicis de amphora, quæ si significet quodlibet opus quantumlibet paruum; significabit amplum etiam urceum, & sic Horatius dixerit, instituto vrceo exisse vrceum.* R I C C. *Non dico per amphoram significari opus quantumlibet paruum, vt tu de prauas, sed quodlibet aliud poema minus, quàm Epicum, habens nihilominus conuenientem magnitudinem: per vrceum vero, in quem exeat amphora, indicari opus, quod non sit iustæ magnitudinis, cum alioqui vrceus tamquam vrceus, possit habere conuenientem magnitudinem, sed non tamquam amphora, exempli gratia, instituta Tragœdia tamquam amphora vitiosa erit, si non perficiatur, sed quasi in vrceum, & opus minus, quàm esse debeat, contrahatur.* C O L. *In illis octo versibus;*

Maxima pars Vatum, *&c.*

Dicis agi de dictione, quæ debet sequi mediocritatem. Tu, tu, Riccobone, insanis; non Horatius. RICC. *Nec Horatius, nec ego insanio.* C O L. *Nihil est in his carminibus, quod ne minimam quidem suspicionem præbeat talis præcepti.* R I C C. *Alio Solœcismo vteris, nempe duabus negationibus pro negatione, quas in lingua latina affirmare vel ipsi pueri in Grammaticæ quisquiliys norunt. Vis enim dicere, nihil est in his carminibus, quod vel minimam suspicionem præbeat talis præcepti, & dicis*

contra-

contrarium, scilicet, Omne, quod continetur in his carminibus, suspicionem præbet talis præcepti. COLON. *Quod præceptum, quid sibi velit ne te puto intelligere.* RICC. *Hoc tuum proprium est dicere, me ignorare omnia, & non docere aliqua saltem probabili ratione, cur ignorem. Sic vel ipse Socrates ignorans à multis appellabatur.* COLON. *Quid est, dictionem debere sequi mediocritatem?* RICCOB. *Hoc ignoras? Sed patet vt elocutionis magnitudo sententiæ subiectæ sit æqualis: vt elocutio non sit mollis, & eneruata: nec nimis elata, turgida, inflata, nec nimis humilis, sed moderata.* COL. *Sic non intelligis, quæ apte consequuntur in illis versibus.*

Aemylium circa ludum, &c.

Sic de ordine, & elocutione: Sic de ceteris. RICCOB. *Miserum me, qui nihil intelligo: sed miseriorem existimarem, si, vt modo dicebam, adduceretur aliqua saltem probabilis ratio contra ignorantiam meam, & alio testimonio conuincerer, quàm Colonij. Immo vero feliciorem putarem, siquid possem abs te discere. Sed, vt video, alius mihi quærendus est Doctor, si velim eruditior fieri.* COLON. *In illis octo versibus;*

Difficile est propriè communia dicere, &c.

Dicis doceri, ut fabula sit possibilis. RICC. *Non dico hoc, sed cum fabula debeat esse possibilis, ut traditum est in illis tribus versibus;*

Ficta voluptatis, &c.

Addo, ita oportere esse possibilem, vt quemadmodum præcipitur in illis octo versibus, cum difficilius, sit fingere nouam personam, quàm ab alijs usurpatam, poeta non solum

lum tractet facta singularia potius ab alijs pertractata, quàm indicta, sed etiam illa singularia consideret vniuerse, prout infinitis de caussis, & infinitis modis euenire potuerunt, & circa ipsa spectet uniuersale, ratione caussarum, & modorum, & ipsius tractationis; & sequitur postea illud, quod magis delectare queat. COL. *Quid est tractare facta singularia ab alijs pertractata? RICC. Intelligo aliquam publicam materiam, & communem, publice, & communiter poetis propositam de aliquo facto singulari, factam propriam, & priuati iuris à quibusdam poetis, & quæ etiam fieri potest propria, & priuati iuris ab alijs ex varietate caussarum, modorum, & tractationis; quemadmodum factum singulare Orestis, & Iphigeniæ fuit commune Euripidi, & Polyidi, & ab eis redditum priuati iuris. COL. Non intelligo, quid sit spectare uniuersale, ratione caussarum, & modorum, & ipsius tractationis. RICCOB. Ita declarabo, vt quiuis possit intelligere. Caussæ, & modi actionum, qui sunt infiniti, pendent ab arbitrio poetæ. Iam circa aliquod factum singulare ipse spectat vniuersale, si consideret illud infinitis de caussis, & infinitis modis potuisse euenire, atque ex illa infinitate seligit, quod magis placere possit, & sic rem facit priuati iuris, non morando circa uilem, patulumque orbem, sed fingendo noua Episodia de illis modis, & caussis. Exempli gratia, Orestes, cum profectus sit ad Dianæ sacrificia, quod factum singulare non debet mutari, potuit proficisci ob eam caussam, vt à furore liberaretur, & ob alias multas caussas, quas poetis licet confingere. præterea, cum captus sit, quod etiam non est mutandum, potuit capi uarijs modis, vel à colonis, vel à militibus, vel ab alijs, qui eum furore agitatum animaduerterent. Cumque immolandus esset, agnitus est; quod potuit*

quoque

quoque fieri multis modis, vel per Epistolam, vt apud Euripidem, vel per syllogismum, vt apud Polyidem. Quamobrem cum factum à poetis vniuersè spectetur, caussa, & modi ex eorum arbitrio finguntur. Ad tractationem pertinet illud;

Nec verbum verbo, &c.

COL. Hæc plane sunt inania figmēta, quæ nec ipse intelligis. RICC. Quæ tu non intelligis, ne alios quidem putas intelligere. Sed sunt omnia deprompta ex penetralibus poeticæ Aristotelis, maxime de caussis, & modis, in quibus positum est vniuersale poeticum. COL. In illis versibus decem;

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus.

dicis præcipi, vt fabula sit admirabilis magis in exitu, quam in principio turgido, & inflato. Quomodo id accommodas Tragœdiæ? nihil enim, vt asseris, ipse præcipit Horatius de scriptore Epico? RICC. Vbi id affirmo? De isto enim verbo asserendi te remisi ad Pseudociceronianum: & remitterem de multis alijs tuis loquendi modis, nisi breuitati studerem. COL. Non vides poetam Tragicum nihil posse promittere? RICC. Non intelligo hic poetam Tragicum, sed Epicum, distorqueas, quantum velis tuo more. COL. Dicis per scriptorem Cyclicum significari Antimachum, quod refellit certis argumentis Lambinus. RICC. Non dico significari Antimachum: sed verba mea sunt; Antimachum hic significari nonnulli putant; quo eodem modo etiam locutus est Lambinus. COL. Repudias subtilitatem, vt uocas, interpretationis meæ de scriptore Cyclico & tamen accipis interpretationem meam de orbe uili, & patulo. RICC. Dico eam esse nimis subtilem, & ab omnium explicationibus diuersam. Te vero non sum secutus in Ho-

ratio intelligendo, sed Arist. ubi agit de facto vniuerse sumendo, & Episodijs augendo. COL. Addit, inquis, Arist. cum fabula sit vel simplex, quæ habet unū fortunæ tenorē, vel implexa, quæ habet fortunæ mutationem, eam oportere esse magis implexam, quā simplicem, & habentem pathos, idest, magnam aliquam perpessionem, & malum. Hic sunt prope plura peccata, quàm verba. RICC. Essent Arist. non mea, si peccata essent: sed fortasse peccata erunt tua. COL. Omnis Tragœdia habet fortunæ mutationem in contrariam fortunam: nec distinguitur simplex ab implexa, quia simplex nullam habeat mutationem. RICC. Ain tandem? simplex, quæ distinguitur ab implexa, nullam habet mutationem? Audias Aristotelem; Appello simplicem, quæ facta, vt definitum est, continua, & vna, transitus fit sine peripetia, & agnitione. cuius exemplum affertur Aeschyli Prometheus perpetuo miser. COL. Non ita præcipit illic Aristoteles, vnde tu hæc accepisti. RICCOB. Iam recitaui verba. COLON. Sed dicit Tragicam fabulam habentem admirabilitatem constare ex his tribus, peripetia, agnitione, & eo, quod vehementer mouet animos, vt sunt res terribiles, & miserabiles. RICC. Immo, ubi agit de fabula admirabili, nullam mentionem facit agnitionis, & peripetiæ. Vbi vero tractat agnitionem, & peripetiam, non meminit admirationis. Quid vero reprehendis de fabula habente pathos? Vbi sunt tot errores? COL. Vt vides, plenus ineptiarum hac, atque illac perfluis. RICC. Hoc in te recedit, dum nihil contra me probas. COL. In illis septem uersibus;

Nec reditum Diomedis, &c.

dicis præcipi, vt fabula sit iustæ magnitudinis, nec permagna, nec perexigua. Nihil esse, vnde possit elici, cauendum esse, ne opus euadat permagnum, aut perexiguum, facile

le quiuis cernere potest. RICC. Immo quiuis cernere potest; tradi ab Horatio non esse nimis longe principia repetenda, nec omnia exprimenda, sed iustam magnitudinem recipiendam, vt fecisse Homerum Aristoteles testatur, qui non totum bellum Traianum aggressus est, sed vnam partem cum abstulisset, Episodijs vsus est multis. Cognito autem hoc contrario, non oportere esse fabulam nimis magnam, & longam, simul intelligitur, & alterum, non debere esse nimis paruam, & breuem. COL. Igitur Horatius uir omni virtute politissimus, non Riccobonus tam imperitus, ut apparet, & fatuus Methodi vim intellexit. RICC. Tecum sentio de laudibus Horatij: sed quòd maledictis me oneras, sat habeo dicere, omnia hæc retorqueri in eum, qui sine legitima caussa ipsis vtatur. COL. Aut tu certe ingenio es obtusissimo; aut inuidiæ liuor tenebras densissimas oculis offudit tuis. RICC. Sum ingenio ita obtuso, ut vis, non tamen is, qui facile admittam, quæ peruerse vis docere. Nec multum in te inuenio, quod sit inuidendum. COL. Elocutio non minus apto loco posita est ab Horatio, quàm fecerit Arist. qui eam coniunxit cum tractatione fabulæ Tragicæ. RICC. Vide, quã bene discernas ordinem Aristotelis. Immo cum sex sint partes qualitatis, quatuor quidem magis pertinentes ad artificium poetæ, vt fabula, mores, sententia, dictio, duæ uero aliæ minus pertinentes, vt melopœia, & apparatus, postquam egit Arist. de tribus prioribus, fabula, moribus, sententia, coniunxit elocutionem, non cum tractatione fabulæ, vt tu dicis, sed cum tractatione sententiæ. COL. Harmonia, & ornatus scenicus mirum in modum aucta fuerant vsque ad tempus Aristotelis, per Euripidem præsertim, & Sophoclem. RICC. Si auctoritatem Aristotelis attendamus, nominas pro Aeschylo Euripidem. Audias Aristotelem; Ac histrionum multitudi-

nem ex vno ad duos primus Aeschylus produxit: & ea, quę ad chorum pertinent, minuit: & orationē primarū partium instituit. Tres vero, & scenę ornamentum Sophocles. *COL. Fabulam Satyricam nondum adduci potes, vt credas fuisse fabulæ compositionem separatam à Tragœdia. RICC. Fuit separata a Tragœdia: sed Horatius non agit de illa, nisi vt coniuncta cum Tragœdia. COL. Nec tamen quidquam respōdes ad illa, quæ sunt in Cōmentario. RICC. Talia sunt, ut ne responsione quidem digna existimē. COL. Tu interpretaris,* Tragicos nudauit satyros, *id est, introduxit eos nudos. RICC. Ceteri omnes interpretantur præter vnum Colonium. COL. Quasi satyri vestibus tecti ambulent. RICC. Satyri ambulant nudi, & nudi introducuntur. COL. Item illud, Tragœdiam indignam effutire uersus leues, miraris me interpretari Tragœdiam, id est, Tragicam personam in satyra. RICC. Et miror, & nunquam satis mirabor, remque similem arbitror illi tuo præclaro inuento de Episodo. COL. Ineptit, qui munus sustinet interpretandi Latinos auctores, nec agnoscit tropos orationis Latinæ? RICC. Quos vocas tropos? putasne ullis tropis te posse excusari? COL. Tantum abest, inquis, ut tibi persuasum fuerit me ueri quidquam de Horatij Methodo scripsisse, vt potius in pristina tua sententia sis confirmatus, id est, in pristina tua ignorantia. RICC. Fateor, quod tot grauissimi viri confessi sunt, me nihil scire: sed inter alia, quæ ignoro, hoc præcipuum est, an tu eruditionis, & modestiæ ullam partem habeas. COL. Concludamus tandem aliquando: nam ego prope iam reprehendendo defessus sum, cum tu videaris inuictus a labore peccādi. RIC. possunt esse defessi, qui inanem laborem sumunt in reprehendendo eo, quod sit laudandum. Iam me defendi à maledica responsione tua, quam quidem cum in prima pagina notatum sit,*

sit, Bergomi editam fuisse an. M D C X I. millesimo sexcentesimo undecimo, id est, viginti annis post hûc ipsum annum, quo eam fecisti; & postquam fortasse (quod Deus auertat) diem tuum obieris, id tribuerem Typographi errato, quamuis in fine operis, vt fieri solet, non correcto, nisi haberem alia multa signa cacutientis iræ tuæ, quæ non permisit, ut quid notatum esset, satis dignosceres, ne tum quidem, cum iam editam responsionem manu tua correxisti, & correctis nonnullis erratis Patauium misisti; inter quæ nõ exiguum quidem fuit indicium animi irascentis, quòd Orestem nominaueris fratris sacerdotẽ pro fratre sacerdotis, & alia huiusmodi protuleris, quæ satis declarant, quàm iratus esses, cum talia scriberes, quamuis te ab omni ira longe abesse contra omnem probabilitatem, & ueritatem, dum res ipsa tam aperte tuum animi morbum indicat, satis audacter professus sis; præter non semel uiolatam latinitatem, & errores in Grammatica superius commonstratos & à te ne in manuscripta quidem correctione emendatos, a quibus cauere debent puelli tui. Et vero, cum in hac controuersia nihil me peccasse, ostendere conatus sim; quemadmodum; siquid recte scripsisses, id libentissime reciperem: sic, ita me Deus amet, valde miror, nihil prorsus à te allatum esse, quod sequi possim. Et, vt tandem concludam, tibique alia multa, & prope innumerabilia in tantulo opere aduersus me maledicta condonem, & sinam te arbitratu tuo & in principio, & in fine, & in medio cursu clamare in signum furiosæ iræ tuæ, atque scripta mea irridere, quæ à grauissimis, & doctissimis viris laudata ne vellem quidem à te, & tui similibus laudari, primum te moneo, vt desinas maledicere, nisi velis tibi diem dici violatæ Moralis professionis, tibique affirmo, nisi te continueris, me criminibus tuis, vt opus erit, satisfacturum, nec commissurum profecto, ut rem te habere

habere

habere existimes cum eo, qui pungentem nesciat repungere, & par pari referre, ac criminātem recriminari iuxta praeceptū artis meae. Deinde, cum probauerim auctoritate Ciceronis me fecisse id, quod licebat, ut meam abs te dissensionem modeste exprimerem absque ullo conuicio, quoniam differentium inter se reprehensiones non sunt vituperandae, ueritatis caussa susceptae, te vero commisisse id, quod non licebat, dum me tam indignis modis insectatus es; eadem sententia utor, qua idem Cicero vtebatur, sane sancta, ac prope dixerim christiana; Si quid occultè a salute nostra dissentiunt, lateant: si qui fecerunt aliquid aliquando, atque ijdem nunc tacent, & quiescunt, nos quoque simus obliti: si qui se offerunt insolenter, & insectantur, quoad ferri poterunt, perferemus; neq; quenquam offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, ut in eum non inuasisse, sed incurrisse uideamur. *Si Coloni te offeres insolenter, & insectaberis, quoad ferri poteris, perferam; neque te offendet oratio mea, nisi te ita obtuleris, ut in te non inuasisse, sed incurrisse videar.*

Rideat introrsum quiuis: me nemo lacessat,
Qui soleam vel parua vlcisci magna papyro.

FINIS.